UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Iosephi Vicecomitis Ambrosiani Collegii Doctoris Observationes Ecclesiasticæ In quo [!] de Antiquis Baptismi Ritibus, ac Cæremonijs agitur

Visconti, Giuseppe

Parisii, 1618

Cap. 12. De ritu vesti candidæ benedicendi, & de tempore quo baptizati ipsam deferebant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64585

Visual Library

miſiſſe, ſignificat: cum ait: *veſtem vero ei, quæ baptizanda eſt, direximus: atque, vt nobis talia ſcribatis, ſemper optamus.* Quæ cum ipſa per ſe magna ſint, ingentem quoque laudis, & commendationis materiam veteribus ſcriptoribus præbuere. E quorum numero Ioannes Diaconus, magnæ authoritatis vir, in vita eius, poſt longam aliarū virtutum ſeriem, huic primas partes tribuit, quod cæleſtis regni promiſsione, albæ veſtis largitione, aliiſque muneribus (quibus nullus acrior ſtimulus eſt ad hominum mentes, quo volumus, impellendas) Iudæos, in veteri fide retinenda nimium ſui iuris, & ſententię, ad Chriſti ſtipendia ſollicitaret. Ita enim loquitur: *enimuero tam læuigationibus dationum, quam promiſsionibus regni cœlorum Iudæi per diuerſa loca ad Chriſtum, quem fratres eorum negauerant, venire cœperunt: quibus cum ſalute animæ, veſtimēta quoque baptizandis habilia conferebat.* Multa præterea teſtimonia ſimilia proferri poſſunt: ſed vereor, ne, ſi fuero in probatione rei clariſſimæ diutius immoratus, aut oblitus eſſe propoſiti videar, aut crimen loquacitatis incurram.

CAP. XII.

De ritu veſti candidæ benedicendi; & de tempore, quo baptizati ipſam deferebant.

EXponam igitur ordine veſti candidæ benedicendi conſuetudinem. cuius tametſi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nullus veterum ſcriptorum apertè meminit: coniectura tamen aſſequar, vt dicendo, & ſcribendo aliquid afferatur, quod aut verum ſit, aut ad id quam proximè accedat. Sane Amalarius Fortunatus, veterum rituum diligentiſſimus ſcriptor, lib. 1. de Eccleſ. Offic. ca. 19. de veſte candida loquens, vehementer arguit, ſi eam ab aliis deferri contingat, quam ab iis, qui ſolennibus Paſchæ diebus detulerunt: a quibus deferri oportere ait, non vero ab illis, qui flagitiis, ac ſceleribus puram baptiſmi integritatem, & innocentiæ ſtolam amiſerunt: *Inde mihi*, Amalarij verba ſunt, *videtur congruentius eſſe, ſi portanda ſunt poſt dies octo, & vt vere portanda ſunt veſtimenta albatorum, vt potius ab ipſis portentur, à quibus portata ſunt in ſanctificatis diebus, quam ab illis, qui ſe multis maculis polluerant poſt baptiſmum.* Ex quibus verbis colligitur, veſtis candidæ vſum, poſt octo Paſchatis, & Pentecoſtes dies, ſceleſtis hominibus vetitum fuiſſe. Quod non leuem occaſionem præbet conijciendi, veſti candidæ benedictionem impartiri ſolitam eſſe. Nam ſecus nefarij iuxta, ac probi illam geſtare potuiſſent. Accedit alia coniectura priori ſimilis, quoniam myſterij, quod in veſte candida intuemur, ratio, & grauitas requirebat, vt ea certis aliquibus precibus à profano vſu eximeretur; præſertim cum tam ſalis, & myſtici velaminis, quam lactis, & mellis, aliorumque plurium ad baptiſma pertinentium benedictio in vſu eſſet: ac variis in rebus idem contigiſſe videamus. ſicut cū quis clericalis vitæ rationē ingreditur, aut alicuius

Candidæ veſti benedicebant.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſacti, vel Sanctæ inſtitutis Chriſto ſe in ſeruitutem addicit. eius enim veſtem ſolennibus verbis expiari, certiſſimum eſt. Quo fit, vt, quo Clericorum, & Monachorum, ſiue Monialiũ inſtituto Chriſtianæ religionis profeſſio potior eſt, eo baptizatorum potius, quam illorũ veſti, ſacras preces adhibere, conuenientius fuerit. Nunc reſtat, vt, quandiu veſtis alba deferretur, conſideremus quod vt commodius intelligatur, diſtinguendæ ſunt regionum, & locorum conſuetudines. Namq; Ægyptij, quo primum veſte alba induebantur, illam vſque ad ſupremum ſpiritum iugiter deferebant. Ex quo factum eſt, vt, cum S. Antonius, dato pretio ſanguinis, æternam vitam mercari vehementer optaret, veſtimẽta candida, quo Chriſtianus eſſe cognoſceretur, forti, alacriq; animo induerit. De qua re S. Athanaſius Epiſt. ad ſolitar. vit. agentes ſic ſcriptum reliquit: *cãdente præcinctus veſte, procedentem iudicem ſuo prouocabit aſpectu, flagrans cupiditate martyrij.* In aliis tamen regionibus paſſim baptizati eam octauo die deponebant, ſabbato poſt Paſchatis, aut Pentecoſtes ſolemnia. Id enim Eccleſię traditio, quæ vim obtinet legis ſcriptæ, nobis ante oculos ponit, & SS. Patrum authoritate cõfirmatur. Nam S. Auguſt. ſerm. 157. de Domin. in Oct. Paſch. cum baptizatorum myſteria explicare, & eos è ſomno vitiorum ad ſtudia virtutis, pietatiſq; excitare aggreſſus eſſet, ita ſcripſit: *paſchalis ſolemnitas hodierna feſtiuitate concluditur, & ideo hodie neophytorum habitus cõmutatur, ita tamen, vt candor, qui de habitu deponitur, ſẽper in*

Prima clericorum, & monachorum, ſiue monialium veſti benedictio impartitur.

Ægyptij veſtem cãdidam ferebant, donec viuerent.

Veſtem albam plerique deponebant octauo die.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

corde teneatur. Hoc idem ex Iacobo Diacono colligitur in vit. S. Pelag. dum eius baptiſmum & Chriſtianæ humilitatis, ac pœnitentiæ documenta referens, inquit: *mox Epiſcopus Pelagiam baptiZauit: octauo autẽ die, quando albam veſtem deponere debuit, nocte, nobis prorſus neſcientibus, ſurrexit, deponensque baptiſmatis veſtem, cilicium induit.* Neque vero aliud vnquam voluit ordo Romanus tit. de die Paſchat. vbi ad explicandam veſtis albæ depoſitionem habet: *ſabbato ſancto baptiZati fuerint, albis veſtibus exuuntur.* Præterea Albinus Flaccus eandem ſententiam ſequitur, à quo ita hac de re ſcriptum eſt lib. de Diuin. Offic. ca. de ſabb. in alb. *hodie albati, qui in ſabbato ſancto baptiZati fuerunt, veſtibus albis exuuntur: albati vero propter veſtes albas vulgo appellantur.* Et cap. de ſeptuag. cum eius finem, initiumque referret: *ſeptuageſima tendit ad ſabbatum ante octauas Paſchæ, quando hi, qui in vigilia Paſchæ baptizantur, alba veſtimenta deponunt.* Acceſsit mox & Amalarj Fortunati locus lib. 1. de Eccleſ. Offic. cap. 28. vbi in baptiſmi ritibus explanandis totus eſt: *ipſi defenſores ſunt baptiſmalia ſacramenta, & cereus, atque patronus, qui mecum verſantur vſque ad ſeptimum diem lauationis albarum.* Quod etiam ſignificat ca. 29. eiuſdem libri, cum ait: *dicam, quid octo dies inſinuent, in quibus veſtiuntur albæ veſtes, & cerei neophytorum.* Nam octo dies, quorum ibi mentio eſt, ad veſtis albæ delationem referuntur: non quaſi baptizati totidem diebus integris eam geſtarent: ſed quia ipſius deferendæ tempus octo dies participabat: qui ad totidem integros redacti,

ſeptem

ſeptem efficiuntur. Quin etiam paulo poſt de eadem conſuetudine inquit: *Vnde mihi videtur congruentius eſſe, ſi portanda ſunt veſtimenta albatorum, vt potius ab ipſis portentur, à quibus portata ſunt in ſanctificatis diebus: quam ab illis, qui ſe multis maculis polluerunt poſt baptiſmum.* Et cap. 39. *tempore Pentecoſtes Eccleſia toto orbe nouos ſemper Deo populos per aquam regenerationis aggregare conſueuit, merito ſaluti eorum congaudentes, quoſque albis induuntur ſtolis, & nitorem purificatamentis ſplendore habitus demonſtrat.* Quibus locis tametſi Author candidæ veſtis ſeptẽ diebus deferendæ conſuetudinis apertè non meminit: tamen ab eo obiter indicatam fuiſſe, argumentis, & coniecturis elicitur. primo quod de pluribus diebus tam primo, quā poſteriori ſermo eſt: quos, cum alij non ſuppetant, ſeptẽ fuiſſe crediderim tum quia poſteriori cum feſtis, ac ſolẽnibus diebus, quos baptizatorum gratia fideles lætè agitabant, ipſius veſtis deferendæ tempus comparatur. Quo fit, vt, cum ſeptem dies feſtos Eccleſia coluerit: ſicut hoc ipſo libro demonſtrabitur: totidem etiam diebus veſtem candidam delatam eſſe, probabile ſit. Rabanus quoque Maurus eum morem non obſcurè docuit lib. 1. de Inſtitut. Clericor. c. 39. cum ſcripſit: *alios ſeptẽ dies in memoriam eiuſdem Dominicæ reſurrectionis congrua feſtiuitate ſubiungens, quos VII. dies albas vocitamus, propter eos, qui in ſancta nocte baptizati, albis per totam hebdomadam vtuntur veſtibus.* Quod etiam ſignificare videtur lib. 1. cap. 29. cum ait: *vtuntur ergo baptizati albis veſtibus, vt* &c. quãuis enim morem

veſtis candidæ ſeptem diebus ferendæ nequaquam expreſſerit, tamen *vtendi vox*, quam adhibet, aliquandiu poſt baptiſmũ eam deferendam eſſe, declarat. Et Berno Augienſis libel. de quibuſd. reb. ad miſſ. ſpectant. cap.3. *ſicut gratia myſterij per octo dies noſter baptiſmus colitur, ita & octaua die veſtimenta mutentur baptizatorum.* Ne prætereundum eſt Ruperti Abbatis teſtimonium lib.7. de Diuin. Offic. cap.11. vbi ait: *totam Paſchalem hebdomadam vſque ad ſabbatum, quo albas ipſi deponunt, eadẽ pro cauſa graduale cantatur*, &c. Inde mos obtinuit, vt octo dies, qui Chriſti anaſtaſim claudunt, *albati, ſiue albi*, & qui proxime ſubſequitur, Dominicus, *dies Dominica in Albis* diceretur. Quod [a] Pio I. [b] Gelaſio, [c] Pelagio II. [d] S Gregorio, [e] Ioan. Diacono, [f] Ordine Romano, [g] Albino Flacco, [h] Rabano Mauro, aliiſque pluribus vſurpatum Eccleſia Chriſti catholica religioſè conſeruans, iam inde à ſuo ortu per interiecta temporum interualla in hanc noſtram vſque continenter tranſmiſit ætatem. Sicut ex Breuiario antiquo Ambroſiano Ms. quod in bibliotheca Ambroſiana à FEDERICO BORROMÆO literarum altore, & parente nuper erecta ſeruatur, & aliis pleriſq; precum horariarum codicibus manifeſtè opparet. Ex quo tamen non ſequitur, eos, qui extra Paſcha, vel Pentecoſten aqua tingebantur, totidem diebus veſtem candidam non tuliſſe. Nam certum eſt ex S. Pelagiæ exemplo nuper allato, multiſque aliis ſimilibus, hanc conſuetudinem omni tempore ſuam vim, & robur obtinuiſſe.

Paſchales dies cur albi, ſiue albati vocentur.

Dominica in albis, cur ita vocetur.

a In decret apud Grat.

b Epiſt. ad Epiſcop Lucan. Brutior. & Sicil. cap. 14.

c Epiſt. ad Epiſcop. German. & Gall.

d In ſacrament.

e Lib. 4. de vit. S. Greg.

f De S. Paſchar.

g De Diuin. Offic. cap. 20. de Paſchat.

h Lib. 2. de Inſtit. Cleric. cap. 39.

Veſtem albam ferebant ſeptẽ diebus etiã baptizati extra Paſcha, & Pentecoſtem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN